

Flere **Fo.** **XX**

ve iniustus qui malam vitam duxerunt. vnde Greg^o. Redemptor humani generis cum iudex apparuerit: et speciosus iustis: et terribilis erit iniustus quem tunc mansuetum aspiciet electi: habent eundem pavendum: atque terribilem conspiciet reprobi: tunc vere tradet omnia. i. ostendet se dominum omnium. trahet inquam omnes damnatos ad penam: electos ad gloriam. vnde dicit beatus Augusti. Deum timeamus et amemus: amemus premia que pollicetur: timeamus tormenta que minatur: et summo opere necesse nobis est ut promissam patriam tota mentis intentione tendamus: quia melius est ire per asperum iter ad regnum celorum: quam per planum et amenum duci ad supplicium eternum.

Flere **Distinctio I**

Flere Nota quod electorum fletus quadruplex est: videlicet de culpe commissione: de gratie amissione: de miserie inhabitatioe: et de patrie dilatione. **P**rimo fletus electorum debet esse de culpe commissione. vnde dicit Matthe. xx. vj. Recordatus est petrus verbi iesu quod dixerat: et egressus foras fleuit amare. **S**i petrus pro trina negatione fleuit quantum magis tu mille negationibus flere deberes. vnde Greg. Quotienscumque homo mortaliter peccat: totiens dominum opere negat. Et ideo dicitur ad Thitum. s. Confitentur se nosse deum: factis autem negant: sed quia parum valet fletus oculorum sine conversione morum: ideo dicitur Iohel. ij. Convertimini ad me in toto corde vestro: in ieiunio et fletu. **Q**ue autem efficaciam et salutem fit in isto fletu ostendit beatus Bernardus dicens. **H**umilis lachryma: tuum est regnum: tua est potentia: inimicis accusantibus silentium imponis: tribunal iudicis non vereris: non est qui accedere veret si sola intraveris: nunquam sola vel vacua redis: quandoque sententiam ab ore iudicis rapis: quid plura: vincis invincibilem: ligas omnipotentem. vnde ps. dicit. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodiui legem tuam. **H**ec aqua valet omnibus hominibus: sed maxime peccatoribus. vnde Aug^o. Una gutta que tantum facit hic per emendam: sicut decem anni in purgatorio. **S**ecundo fletus electorum debet esse de gratie amissione. vnde Psal. xxx. viij. et. iij. Reg. xv. Convertit ezechias faciem suam ad parietem ad dominum et dixit

c. iij.